

ac præcipit concilium, ut ad has concurrant, et contribuant omnia, et singula beneficia totius diœcesis, qualiacumque illa sint: item omnia ac singula non mendicantium monasteria, et pia loca quantumvis alias exempta (solis exceptis iis, in quibus seminarium discentium, et docentium ad communæ Ecclesiæ bonum actu habetur; hæc enim non nisi de redditibus ipsorum seminario superfluis contribuere tenentur) quorum singula non tantum semel, sed singulis annis tantum portionem dare tenentur, quantam episcopus cum consilio duorum de capitulo determinaverit; et quidem tandiu, donec seminarium sufficienter sit fundatum, ac provisum; tunc enim vel ex parte, vel ex toto cessare debent portiones prius dari solitæ. Videatur cit. c. 18, sess. 23. de Re-form. quod sane dignum lectu est. Scribit super hoc bene Jacob. Pignat. tom. I, consult. 223; Zerola, §. Seminarium. et Barbosa, in concilium Tridentinum, loc. cit.

Resp. II. Præfatum subsidium seu portiones ad seminarium faciendæ, partim census partim exactiones dici possunt: census quidem quatenus ordinariæ sunt, annisque singulis in certa quantitate dari debent: exactiones vero, quia non continuo, sed tandiu tantum, donec seminarium aliunde habeat, unde sustentetur, durant: atque hoc desumitur ex natura utriusque tam census nempe quam exactionis, de quibus vide n. 2, 3 et 18.

§ III

DE EXACTIONIBUS, TRIBUTIS, GABELLIS, VECTIGALIBUS, PEDAGIIS, QUIDAGIIS, TALLIIS, ETC. LAICALIBUS.

Quamvis præsens titulus principaliter tantum agat de Exactionibus, et aliis oneribus ecclesiasticis, quibus gravari possunt clerici, nihilominus, quia ibidem incidentaliter saltem tanguntur exactiones, quæ imponuntur laicis, uti patet ex c. Innovamus, 10. h. t., de iis quoque breviter saltem hic merito agitur, præsertim cum sit materia in praxi frequenter occurrens. Pro meliori autem hujus materiæ intelligentia placuit præmittere explicationem terminorum. Hinc

38. *Tributum quid? et quotuplex. Exactio, tallia, quid?* — Notandum I. Nomine *Tributi*, si omnino late sumitur, venire omne illud, quod quacunque ratione principi, vel

reipublicæ ad onera communia sustinenda penditur, ac solvitur, quo sensu etiam tributa sunt vectigalia, pedagia, quidagia, etc. At vero tributum stricte sumptum est pensio, quæ subditis imponitur principi solvenda ad hoc, ut statum suum tueri, et communibus utilitatibus ac necessitatibus congrue prospicere possit, germanice *Steur*. Dividitur in ordinarium, et extraordinarium. Ordinarium *ordinary Steur*, est, quod singulis annis ad dictum finem ex lege nova, vel antiqua in certa quantitate solvitur. Extraordinarium *extraordinary Steur, oder Anlag*, est, quod non singulis annis, nec aliis certis ac determinatis temporibus, sed ingruentibus extraordinariis necessitatibus ex mandato principis juxta determinationem ejusdem a subditis solvi debet; prout plerumque fit tempore belli. Hujusmodi extraordinaria tributa alias etiam vocantur, exactiones, tallia, seu taleæ, ita ut horum omnium nomine aliud non significetur, quam extraordinaria pensio seu tributum *ein Extra-Steur, oder Anlag*, quod rursus subdividitur in duo membra, unum est, quod singulis personis, seu capitibus nulla habita ratione facultatum imponitur, et capitatio vocari solet *ein Kopff Steur*, cujus impositio sane modica debet esse, cum a singulis etiam minimæ fortunæ, famulis et famulabus præstatur. Alterum vero, quod secundum æstimationem honorum, quæ quis possidet, taxatur et imponitur arg. L. arg. ff. de Censibus. vide Lexicon Calvinii §. *Tributum. §. Tallia. §. Exactio.* item Layman, lib. III, tract. III, p. 1. cap. III, n. 1.

39. *Vectigal, pedagium, quidagium, gabelle, quid?* — Notandum II vectigalia, pedagia, quidagia (quæ hodie promiscue sumuntur) materna lingua *Maut und Zoll*, esse illud, quod transeuntes quivis in certis locis a principe deputatis dare debent pro rebus, quæ vehuntur, vel portantur; vel etiam pro ipsis personis, quæ transeunt. Similia pedagia, et vectigalia plerumque exiguntur et dantur pro confectione ac conservatione pontium et viarum: quamvis etiam hac causa cessante exigantur pro interesse principis onera publica portantis: uti videmus hodie, quod etiam, in navi per aquam vehentes, uti nihil destruitur, vel reparatur, pedagia et vectigalia dari debeant. Porro, quamvis, ut dictum, vectigalia, pedagia, quidagia hodie pro eodem, ac promiscue sumantur; nihilominus proprie loquendo,

quidagium est illud, quod transeuntes dant pro salariandis illis hominibus, qui secure deducunt per loca, vel alias loci securitatem præstant. Glossa, in c. *Quantum*, in princip. h. t. in 6. quod idem, stricte loquendo significat *Pedagium*, prout vult Schardius §. *Pedagium*. addens ex Baldo, dominum terræ pedagia vel quidagia accipientem teneri ad resarciendum damnum, si transeuntes a raptoribus, vel aliis vias infestantibus, damnum patiantur. Gabella secundum plures idem est ac vectigal ac pedagium: Layman, loc. cit. et Summistæ communiter: alii vero dicunt gabellam esse illud tributum genus, quod datur principi ob venditas res sive mobiles, sive immobiles, germanice *Aufschlag Accis*. Præmissa terminorum explicatione.

40. *Præfata imponere possunt soli principes.*

— Quæritur I. Quis possit imponere, et exigere tributa, exactiones, vectigalia, etc. Resp. Soli imperatores, reges, et alii principes in temporalibus superiorem non agnoscentes, exigere et imponere possunt tributa, exactiones, et vectigalia; ut proin alii inferiores prædictis, hanc potestatem non habeant, nisi eisdem vel ex speciali concessione, vel privilegio principis, vel ex antiqua consuetudine jam præscripta competat. Ita communis ac certa tam theologorum, quam canonistarum, arg. c. *Innovamus*. 10, h. t. ubi universaliter omnibus sub pœna excommunicationis strictissime prohibetur, ne nova pedagia, vel exactiones, sine auctoritate et consensu principum et regum statuere aliquo modo præsumant. Eadem pœna statuitur transgressoribus in *Bulla Cœnæ*.

41. *Sed non nisi ex justa causa. Et quæ ista?* — Quæritur II. An semper, et pro libitu supremi principes imponere possint nova tributa, exactiones, vectigalia? Resp. Eos non semper, ac pro libitu, sed tunc solum posse, quando adest justa causa, servando etiam debitum modum. Rursus communis apud Layman, lib. III, tract. III, p. 1, c. 3, n. 2 et 3; Sporer, tract. V. in 7 et 10 *Præcept. Decalogi* c. 5, sect. 6, n. 145; Lessius, lib. II, cap. xxxiii, dub. 1; Molina, disp. 666, qui cum aliis doctoribus bene notant, quod tributum, vel exactio nova, vel vectigal etiam ex justa causa impositum, diutius continuare princeps non possit, ac quandiu illa justa causa durat; qua cessante tributum cessare debet; nisi forsitan alia consimilis causa loco prioris subintraret. Responsionem

confirmat etiam *Bulla Cœnæ*, § 5. sic sonans: « Item excommunicamus, et anathematizamus omnes, qui in terris suis nova pedagia, seu gabellas, præterquam in casibus sibi a jure, seu speciali Sedis apostolicæ licentia permissis imponunt, vel augent. » Causæ autem justæ tributa, et nova vectigalia imponendi vel augendi inter alias sunt sequentes: I. Principis decens sustentatio considerato ejusdem statu, dignitate, et meritis in reipublicam; II. magna utilitas reipublicæ; III. necessitas communis reipublicæ; quia contingit tempore belli; IV. expunctio debitorum pro communi utilitate seu necessitate reipublicæ contractorum, etc. Layman, loc. cit. n. 2 et alii doctores, num. præced. citati, qui plures alias allegant, simulque communiter docent, quod si necessitas, vel causa similis sit perpetua, perpetuum quoque moderatum tributum, vel vectigal imponi queat. Porro causa debet vere subsistere, et non ficta esse; quando enim principes ob nimium luxum, pompam excessivam, ædificia superflua, immoderatas donationes, etc. defectum ærarii patiuntur, et propterea ad tributa, vectigaliave ac similes alias exactiones deveniunt, etsi necessitas publica pro forma assumatur, re ipsa tamen similis exactio fraus est, et rapina, pauperumque oppressio, prout zelose scribit Navarrus, lib. III, c. 1, n. 255. Dixi in responsione, « servando modum debitum; » videlicet, ne plus exigatur, quam causa publica exigit: item ne ad alium finem, quam causæ publicæ usum applicetur. Ex quo cum communi ac certa doctorum.

42. *Peccata principum circa hæc.* — Colli-ges principes non tantum gravissime peccare, sed etiam ipso facto excommunicationi subjacere, ac insuper ad restitutionem teneri: I. Quoties sine justa causa publica nova tributa, vectigalia, gabellas, vel alias exactiones, qualitercumque eas baptizent, imponunt subditis; II. si plus exigunt, quam causa ipsa requirit; III. si causa justa cessante continuant, nisi nova emergat; IV. si antiqua tributa, aut vectigalia augment absque justa causa; V. si antiqua, et extraordinaria tributa, aut vectigalia per se jam essent sufficientia ad causam, vel necessitatem præsentem tollendam. Peccant etiam VI. si nimis, et excessivis luxu, pompa, lusu, conviviis, donationibus, recreationibus, ædificiis, etc. omnino exhauriant æraria, vel etiam debitis cameram gravent, ut nova tri-

buta, vectigalia, gabellas, et id genus exactionum, cum alias antiqua tributa et ærarium ad tollendas similes necessitates, vel omnino sufficientia fuissent, vel certe cum magno sublevamine pauperum multum contribuere potuissent. Et in hoc habent, quod multum attendant consiliarii, et confessarii principum, ne alias vel muti canes, vel adulantes politici, vel displicere timentes, et se et principes in æternum perdant, simulque miseros subditos plurimis, iisque gravibus oneribus et exactionibus emungant. Certe severe scribunt de hac materia cuncti doctores.

43. *Quando saltem probabiliter constat tributa, exactiones, vectigalia, etc., esse injusta, non obligant in conscientia.* — Quæritur III. An tributa, exactiones, gabellæ, et vectigalia imposita obligent in conscientia, ita ut defraudantes peccent graviter, et ad restitutionem teneantur? Quæstio hæc quotidiana, summe practica, maxime conscientiosa, et solutu admodum difficilis est. Resp. I. Quando certo, aut satis probabiliter constat, tributa, exactiones, etc. ex toto, vel ex parte injuste esse imposita, puta, quia vel sine justa causa, vel in majori quantitate exiguntur, quam causæ necessitas requirit, vel imponuntur sub prætextu justæ causæ, et interim ad usus necessarios aut privatos applicantur, in conscientia non obligant; potest proin quis ea vel ex toto, vel ex parte non tantum tuta conscientia subterfugere, et defraudare, sed insuper occulta compensatione uti, casu quo in foro externo, uti ordinarie fit, ad dandum cogere. Ita sentit Layman, lib. III, tract. III, p. 1, c. 3, n. 5; Sylvester *ÿ. Gabella*. 3, q. 3 et 14; Molina, disp. 674; Sporer, tract. V, in septimum et decimum *Præceptum Decalogi*, n. 152, dicens, ita pro certo tenere omnes. Ratio in promptu est, quia nemo tenetur dare id, quod ab ea injuste petitur, per vulgaria, et si eidem vel auferatur, vel is ad dandum quovis modo cogatur, occulta compensatione indemnem se facere potest, juxta dicta tit. XVIII, de *Locato et Conducto*.

44. *Idem dic, si dubium est de eorum justitia.* — Resp. II. Quando est dubium, sive positivum ratione pro et contra stante, sive negativum de justitia tributi, gabellæ, seu vectigalium novorum, non datur in conscientia obligatio ea solvendi. Ita communior, et verior, ac in praxi tuta sententia, quam tenet Lugo, de *Just. et jur.* disp. 36, sect. 6; Sanchez, lib. II, consil. c. 4, dub. 6. Azo-

rius, part. III, c. 22, q. 7; Molina, disp. 674, n. 6. et 9; Sporer, loc. cit. n. 154; Sylvester Rosellus, Corduba, Armilla, Diana, et communis fere omnium, teste Lugo, loc. cit. arg. c. *Pervenit. de Censibus*, h. t. et c. *Quanquam*. eod. in 6. Ratio esse potest, quia melior est conditio possidentis, c. 65, de *Reg. jur.* in 6, consequenter si dubitatur an tributum juste petatur, melior est conditio subditi bona fide adhuc possidentis. Nec dicas cum adversariis, quando est dubium de justitia legis, vel præcepti, præsumptionem stare pro superiori, eique parendum esse, juxta communem. Nam contra est, quod hæc doctrina tunc non verificetur, nec procedat, quando agitur de ipso legislatoris interesse proprio; hoc enim in casu præsumptio pro ipso non stat, præsertim hoc tempore ubi non raro tributa, exactiones, et similia injuste, et excessive imponuntur. Accedit, quod cum ipsa jura tam canonicum c. *Quanquam*. 4. de *Censibus*, in 6. quam civile l. *Non solent*. C. *Vectigalia nova*, damnent et rejiciant novas exactiones, et pedagia nova, consequenter solvenda non sint, quando de eorum justitia aperte non constat, arg. c. *Pervenit*. h. t. eo quod contra ea ipsum Jus militet. Dixi notanter *nova*: quia quando dubitatur de antiquis, de quorum initio non extat memoria, præsumendum est, ea justa de causa imposita esse, consequenter obligare in conscientia, uti citati doctores, et alii fere communiter affirmant. Grandis autem modo est difficultas de juste impositis novis tributis, exactionibus, etc. Ad quam.

45. *Exactiones, vectigalia, tributa, etc. etiam nova juste imposita obligant in conscientia; et illa defraudans tenetur ad restitutionem.* — Resp. III. Si non certa, sane certo probabilior ac verior est sententia dicens, quod tributa, exactiones, gabellæ, ac vectigalia etiam nova juste imposita obligent in conscientia, ita ut ea defraudans pro materiæ quantitate graviter, vel leviter peccet, atque ad restitutionem teneatur. Ita communissima, signanter Lessius, loc. cit. dub. 4, n. 8; Lugo, disp. 36, sect. 4; Layman, loc. cit. n. 5; Diana, part. I, tr. de *Legibus*, resolut. 19; Molina, disp. 674; item pro et contra Lessius Covarruvias in c. *Peccatum. de Reg. jur.*, in 6, part. II, § 5, n. 1 et 5; Alphonsus de Castro, lib. I. de *Lege pœnali*, cap. IX et XI, ubi dicit conclusionem adeo esse certam ut contraria doctrina sit error. Navarrus in *Manual.*, cap. XIX, n. 200; Sanchez, lib. II,

consil. cap. IV, dub. 1, n. 8. Sylvester, Cajetanus, Corduba, Medina, Sporer, loc. cit. n. 150. et communissima aliorum, contra Angelum, Henricum, Durandum, Lessium, et alios satis graves auctores. Probatur. Obligatio solvendi tributa, exactiones, et vectigalia justa est de jure divino, et naturali, ergo obligat in conscientia. Ant. probatur, ad Romanos XIII, 6, 7, dicitur: *Ideo enim et tributa præstatis: ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum servientes. Reddite ergo omnibus debita; cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal.* Et Matth. XXII, 21. Christus ipse, quæstione facta de hac materia, ostenso sibi numismate dixit: *Reddite Cæsari, quæ sunt Cæsaris, et Deo quæ sunt Dei.* Imo non tantum verbo, sed et exemplo docuit, justa tributa esse solvenda; dum Matth. XVII, 26, pro se, et Petro tributum solvit. Probatur, quod etiam sit de jure naturali. Tributa, exactiones, gabellæ, et vectigalia juxta exiguntur, vel tanquam justa merces principi pro sustentatione ejusdem, vel pro communi utilitate reipublicæ procuranda, vel malo ejusdem avertendo; atqui utrumque obligat de jure naturali, ergo. Probatur min. quoad primum, quando enim tributa exiguntur pro sustentatione principis, tunc siquidem sunt justa merces pro laboribus, et oneribus, quæ princeps sustinet in gubernanda, et conservanda republica: de jure autem naturali *dignus est operarius mercede sua*: ergo. Probatur quoad secundum: de jure naturali tenentur membra communitatis etiam cum privato aliquo proportionato damno, evitare damnum communitatis, ejusque bonum procurare, si aliter fieri non potest: atqui, uti supponitur, damnum communitatis alia ratione averti nequit, nec bonum ejusdem procurari, nisi communitatis membra tributa, vel alias exactiones solvant; ergo. Confirmatur: lex vel mandatum superioris justum obligat in conscientia, juxta certissimam apud Covarruviam, loc. cit. n. 1, juxta illud Pauli ad Rom., XIII, 1, 2: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas nisi a Deo; quæ autem sunt, a Deo ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* Huc faciunt etiam dicta, lib. I, tit. II, de *Constit.* § 9. Confirmatur ulterius, quando cunquæ quis ab alio juste, sive ex justitia præterdit et exigit, ille, a quo præterditur, obligatur juste petenti illud dare; quia

« correlativorum eadem est ratio et disciplina, » per vulgaria: atqui princeps ex justa causa petens tributa juste, sive ex justitia illa exigit; ergo.

46. *Solvuntur objectiones.* — Objicies I. Cum auctoribus contrariam sententiam tenentibus: Lex pœnalis non obligat in conscientia, sed lex imponens tributa, exactiones, gabellas, vectigalia, est pœnalis; ergo. Resp. distinguendo major. Lex mere pœnalis non obligat in conscientia, concedo major. : Lex pœnalis mixta, qualis est lex tributa et vectigalia imponens, utpote quæ sub culpa simul et pœna obligat, nego major. Distinguitur etiam minor. Sed lex tributa, etc. imponens est pœnalis, mere talis, negatur minor, mixta, conceditur minor, et negatur conseq. Ex hoc enim, quod aliqua lex sub pœna feratur, non bene inferitur, eam esse mere pœnalem, sub pœna obligantem; alias certe lex non furandi, non occidendi, etc. essent mere pœnales sine culpa ad solam pœnam obligantes. Quod autem Lex tributorum sit mixta, inde patet; quia obligat de jure divino, et naturali, cujus obligatio minime tollitur per pœnam; quæ ei per legem humanam de novo adjicitur: sicut universaliter per hoc, quod aliquid de novo sub pœna prohibeatur, non tollitur obligatio sub culpa, sub qua prius jam idem vi legis divinæ naturalis, aut canonicæ erat prohibitum.

47. Objicies II. Lex tributa, et vectigalia etiam justa imponens, de jure divino ac naturali aliter non obligat, quam eo modo, quo legem ponit, et obligare vult legislator humanus tributa imponens: sicut enim non obstante, quod Deus universaliter præcipiat, *Obedite præpositis vestris, et subjacete eis*, nihilominus hoc præceptum divinum aliter non obligat, quam ut obediamus superioribus, eo modo, quo præcipiunt, indeque superior humanus sub sola pœna aliqua præcipere potest; ita etiam non obstante lege divina, qua præcipitur ut detur *tributum, cui tributum; vectigal, cui vectigal*, hæc lex ad plus non obligat, quam ut demus tributum eo modo, quo legislator præcipit, qui sub sola pœna præcipere potest: sed legislatores humani imponentes tributa, et vectigalia sub sola pœna obligare intendunt; ergo minor probatur, quando dubitatur de mente legislatoris, num sub sola pœna, vel etiam sub culpa obligare intendat, intentio ejusdem inter alia optime etiam desumitur ex consue-

tudine, juxta communem theologorum, et diximus in nostra *Theologia morali*, tract. II, dist. 2, n. 33, eo « quod consuetudo sit optima legum interpretis, » c. *Cum dilectus*. 8. de *Consuetud.* atqui per communem consuetudinem lex tributorum et vectigalium habetur pro mera pœnali, cum homines absque ullo scrupulo aut timore de peccato, passim ubi possunt, vectigalia, tributa, et gabellas defraudant, id solum attendentes, ne in foro externo deprehendantur, ergo. Resp. Transmissa major., et probatione ejusdem; negando min. videlicet, quod principes imponentes tributa et vectigalia aperte justa et moderata, vel pro decenti suorum non excessiva sustentatione, vel pro bono communi, quod alia via haberi nequit, non intendunt obligare in conscientia; præsertim cum ad hoc faciendum a lege naturali ac divina dirigantur: cui derogare cum suorum et communitatis præjudicio velle non sunt præsumendi. Ad probationem respondeo concessa major., rursus negando minor., quod nempe universim quævis lex tributa, et vectigalia etiam justa imponens habeatur vi consuetudinis pro mere pœnali, et passim sine scrupulo violetur; quamvis enim id fiat in tributis, et vectigalibus, quæ communi æstimatione videntur excessiva, et nimia, vel de quorum æquitate saltem dubitatur; tamen de aperte justis aliter videmus fieri, eaque a timentibus Deum (mali pro exemplo adducendi non sunt) exacte solvi, vel non soluta confessioni subijci; hoc ipso, quod sciant, se ad honeste sustentandum principem, malumque commune avertendum de jure naturali, ac divino obligari. Cæteram ex hæcenus data doctrina.

48. *Ponuntur doctrinae practicæ.* — Colliges I, quod, quia experientia teste, hoc tempore sæpius omnino injuste, vel certo aperte excessiva imponuntur nova tributa, ac similes exactiones, cum plura applicentur ad excessivum luxum, pompam, etc. possessuta conscientia subditos illa vel ex toto, vel ex parte defraudare, quando nempe vel ex toto, vel ex parte, ea injusta communiter æstimantur.

Colliges II, quod, cum hodie raro supersit via subditis defraudandi tributa, et exactiones alias, sed omnia sive justa sint, sive injusta, dare cogantur, ac severe compellantur, in conscientia liceat subditis etiam justa ac moderata defraudare tributa, et exactiones, si alia via non possunt se indemnes reddere

ratione tributorum, et exactionum injustarum vel excessivarum, quas dare sunt coacti. Idem est de gabellis et vectigalibus noviter impositis.

Colliges III, quod, licet gabellæ et vectigalia, sicut etiam tributa antiqua ordinarie præsumantur justa, nihilominus, si videt subditus, quod per nova tributa, exactiones, gabellas, etc. injuste sit gravatus, etiam antiqua defraudare in tantum valeat, quantum per nova se injuste gravatum cognoscit. Et quoniam hoc in gabellis, et vectigalibus, commodius fieri potest, in iisdem fieri dicto modo licebit.

Colliges IV, quod, cum his perversis temporibus persæpe et toties injuste, vel excessive (abstrahendo a quavis provincia in particulari et principe, quorum nulli per hoc in minimo detrudere, vel derogare intendimus, se universaliter pro toto mundo scribimus) graventur, et emungantur, ut ob omnes præclusas vias vix possibile sit subdito, tantum defraudare, quantum ad recuperandum injustum damnum passum sufficiens esset ordinarie, et in praxi loquendo, vel nunquam vel raro peccent subditi, multo minus ad restitutionem obligandi sint, si defraudant quodeunque tandem genus tributorum, gabellarum, aut vectigalium.

Colliges V, doctrinas hæc usque traditas nequaquam procedere de annuis canonibus et laudemis, quæ a subditis emphyteutis vel feudatariis præstantur dominis in recognitionem domini directi, ac alias similes rationes, eo quod hæc vi contractus jure naturali obligantis suam vim, et efficaciam habeant. Nisi etiam in his excessus fiat, et injustitia a dominis, ut si sine justa causa canones annuos, vel laudemias augent; vel laudemias injuste multiplicent, juxta dicta supra tit. de *Locat. conduct.* § 7.

§ IV.

DE PROCURATIONIBUS: UBI ETIAM DE VISITATIONIBUS.

49. *Procuratio ad præsens, quid?* — Queritur I. Quid sit ad propositum *Procuratio*, et quinam ad eam teneantur? Resp. I. Quamvis alias *Procuratio* varia significet, ad præsens tamen aliud non est, quam contributio sumptuum, et expensarum necessariorum pro victu et honesta sustentatione tempore visitationis præstanda illis, qui ecclesias

diocesis visitant. Ita in re communis, arg. c. *Procuracionibus*. 23. h. t. concil. Trident. sess. 24. de *Reform.* cap. III. Cum enim multum, imo plurimum intersit, ut Ecclesiæ sæpius visitentur, juxta dicenda infra num. 65. ideo in concilio Toletan. 4. cap. xxxv. relato can. *Episcopum*. 11. cau. 10. c. 1. statutum, atque a concilio Tridentino, loc. cit. denuo confirmatum fuit, ut episcopi per se, vel per alios singulis annis visitarent omnes ecclesias suæ diocesis; quod ut promptius facerent, et ne timore expensarum visitationes negligerent, ulterius statuere, ut eisdem honesta sustentatione ex redditibus Ecclesiæ præberetur pro eo tempore, quo eam visitant, per jura allegata.

50. *Tenantur ad eam omnes ecclesiæ, et monasteria visitationi subjecta.* — Resp. II. Regulariter loquendo ad *Procuracionem*, seu honestam sustentationem visitatoribus præstandam tenantur omnes ecclesiæ, et monasteria visitationi subjecta, nisi per jura ab hoc onere sint exempta. Communis ac certa, arg. c. *Conquerente* 16. de *Offic. ordinar. c. Cum ex Officii*. 16. de *Præscript. c. Procuraciones*. 23. h. t. ibi: « Procuraciones ratione visitationis debentur episcopis, » etc. et c. *Sopitæ*. 14. eod. ubi etiam monasteria quantumvis alias a lege diocesana exempta, per dicta num. 12. ad eam teneri dicitur, et concil. Trident. loc. cit. Quod intellige, etiamsi episcopi, vel alii visitatores aliunde sufficientes, vel etiam abundantes redditus habeant, ut bene observat Abbas in c. *Procuraciones*. 23. h. t.; tum quia « nemo cogitur propriis stipendiis militare: et magnum non est, si metat carnalia, qui spiritalia seminat, » ut dicitur cit. c. *Cum ex Offic. de Præscript.*; tum quia *Dignus est operarius mercede sua*. Lucæ X, 7; tum ut magis alliciantur ad visitationem episcopi, quam alias ob annuas expensas facile negligerent.

51. *Excipiuntur oratoria privata.* — Dixi, « Regulariter loquendo, » quia limitatur conclusio I. In oratoriis privatis, etiamsi ab episcopo, vel per destinatum ab eo visitentur omnes, ob textum expressum c. fin. h. t. ubi Summarium sic habet: « propter oratorium privatum procuratio visitationis non debetur » censentur autem oratoria privata illa, quæ auctoritate episcopi non fuere erecta, ut in cit. c. fin. bene observat Barbosa, et constat ex dictis, tit. de *Religios. domib.*

52. *Item ecclesiæ habentes privilegium non dandi, aut consuetudinem universalem contra*

riam. — Limitatur II. In ecclesia, quæ vel speciali privilegio pontificio est exempta, c. *Cum instantia*. 17. h. t. Item in locis seu provinciis, ubi « consuetudo est, ut nec victualia, nec pecunia, nec quidquam aliud a visitatoribus accipiatur, sed omnia gratis fiant, » ut expresse statuitur a concilio Tridentino, sess. 24. de *Reform.* cap. III. quod intellige de consuetudine universali alicujus diocesis, vel provinciæ, non item alicujus loci, vel Ecclesiæ particularis, juxta dicenda infra n. 62.

53. *Atque ecclesiæ pauperes: et quomodo* — Limitatur III. In ecclesiis, et beneficiis pauperibus, qui sufficientes redditus ad procuracionem visitatoribus præstandam non habent. Fagnanus, in c. *Venerabilis*, 24. h. t. n. 33; Barbosa, de *Offic. et potest. episc.*, loc. cit. n. 51. Joan. Andreas, in c. *Procuraciones*, 23. h. t. n. 6. et ibi Hostiensis, n. 4. Butr. n. 5; Cardinal. n. 3; Barbosa, de *Offic. et potest. episc.* allegat. 73. n. 51. Abbas, n. 7; Pirhing, h. t. n. 82. cum communi, arg. can. *Cavendum*. cau. 10. q. 3. c. *Statutum*. 41. § *Insuper. de rescript.* in 6. ibi: « Ubi notabiliter fuerint pauperes, etiam pro expensis nihil prorsus exigatur ab eis » can. *Placuit*. cau. 1. q. 2. ibi: « Si aut paupertas, aut necessitas illum retinet, nihil exigatur ab eo » et c. *Cum instantia*. 17. h. t. et ibi Glossa 7. *Indebite prægravari*, ubi ait: « imo a paupere non debet exigere; » rationem aliquam addit; quia nec judex sportulas exigit a pauperibus, *Novell.* 17, cap. III. Unde in visitatione ita pauperum ecclesiarum debet episcopus ex suis redditibus expensasolvere. Bellet. *Disquisit. cleric.* p. 1. *Cleric. debit.* § 41. n. 8. Intellige, si notorie constat de paupertate ecclesiæ, aut beneficii. In dubio enim potest episcopus juramentum exigere a rectore ecclesiæ, vel beneficiato paupertatem allegante Abbas, loc. cit. n. 7. arg. c. fin. de *Jurejurand.* vel sub conditione eundem excommunicare v. g. « Excommunicate, nisi procuracionem præbeas juxta facultatem tuam. » Abbas ibid. Advertendum tamen, quod si aliqua ecclesia dare aliquid, sed non totum pro necessaria procuracione præbere valeat, ex toto non eximatur, sed cum alia simili, vel pluribus pauperibus concurrere debeat, juxta dicenda infra n. 58.

54. *Necnon ecclesiæ civitatis, ubi episcopus sedem habet.* — Limitatur IV. Si episcopus visitat ecclesiam cathedralem, aut alias ecclesias, vel clerum civitatis, in qua Sedem